

de scriptū est. Exaltat⁹ autē hūiliat⁹ sū & cōtur-
batus. Hęc em̄ est medela prioris alicui⁹ supbię:
q̄ sefellit animū. Tertia est hūilitas vera: q̄ nec est
vitiū nec annexa penitētię, seu comes prioris su-
perbia. Et hęc est sanctorum perfecta humilitas. 1
qui christi imitatione ppter deum, semetipsos vt
nihil esse arbitrati: exinanire voluerunt.

98 Quo pacto virtus edoceatur esse tri-
nitatis æmula?

Virtus est pfectū qddā. Oē autē pfectū, est emu-
lū trinitatis. Nō est igit̄ absq; sua trinitate virt⁹.
Nā iā docuim⁹ quāsdā virtutes supra mediū cō-
sistere: quāsdā in mediō, nōnullas ifra mediū.
Etem̄ cōes hūaneq; virtutes i mediō sunt. Excel-
lētia autē diuie mutatiōis iserēs aīm deo: mediū
trāsilit. Hūilitas vero siue pēitētū siue scōrę sub
mediō sese coerēs: deū equo aīo in imo p̄stolat.

99 Quādiu experitur homo in seipso: cō-
trariorum vt carnis & spūs certamen?

Quādiu aut viuit: aut vel spiritaliū reḡ vel car-
naliū amore, absorpt⁹ fuerit. Sicut em̄ inī cōtra-
ria luctant: variisq; nūc vni⁹ nunc alteri⁹. pcellis
agunt, q̄ nōdū aut vitiū aut virtutē cōsecuti sunt
habitū, vt cōtinētes & incōtinētes: qui adhuc &
virtutū & vitiōrę stimulis i varias ptes instigāt:
ita & quādiu mēs hoīs, i p̄nti vita: nōdū aut spi-
ritaliū aut carnaliū amore reḡ absorpta obrutaq;
fuerit: tādū cōtraria carnis & spūs colluctatio in
hoīe viget, eorūq; certamē hō i semetipō experit.

100 In quam partē luctamen carnis & spi-
ritus definiatur atq; terminetur?

In vtrāq; partē: sed diuersorę hoīm. Nā ipossibile
esse norūt vniuersi: hoīs eosdē vna & spiritalia
& carnalia sectari: siue vna spiritaliū reḡ & carna-
liū amore absorberi. Alii aut sunt in qb⁹ diuinus
amor, carnē spiritui subdit, eāq; huic obrēpare iu-
bet: cui nata est famulari. Alii vero quorę spm̄: il-
licita carnis desideria, carnē idigne famulari co-
gūt. Et in his solis naturę puertit̄ intētio: qñqdē
eū q̄ dñari nat⁹ est: subiciāt fuitutē. Et q̄ seruire
nata est ignauit̄ dñari fināt. In vtrāq; igit̄ partē
hoīm definit certamē: spiritaliū in spū & carna-
liū in carne.

Theologicarę questionū quarti libri finis. An-
no domini, 1512. Vltima decembris.

THEOLOGICARVM QVAESTIO
num. Liber quintus, De diluuiō, regnis mū-
di & mentis notionibus.



Vota generatio-
ne ab Adā: con-
tigit vniuersalis
a quarum inun-
datio quā diluui-
um appellam⁹?
Decima. Adā q̄ppe
genuit seth: q̄ genu-
it Enos, cuius filius
Caynā: genuit Ma-

lahel, qui genuit Jared: a quo genitus est Enoch,
cuius filius Mathusale: q̄ genuit Lamec, cui⁹ fi-
lius Noe: decima ab Adam generatione nume-
ratur. Sub quo mūdi per aquas renouatio: & im-
piorum gigantum exterminatio facta. Etem̄ suo
mysterio, denarius non caret numerus: quod nō
nullis in locis explicuimus.

2 Cur ante diluuiū homines & corpo-
ris vastitate insigniores nascebantur &
longeuiōres viuebant?

Sicut in oriētali mundi plaga: & grādiora & for-
tiora & longioris vitę animalia gignuntur, q̄ in
occidua & sinistra mūdi parte: ita & ante diluui-
um, tanq̄ ab origine mundi & primeua eius a ta-
te (luxuriante naturę iuuenta) homines corpo-
rea mole & robore insigniores nascebantur & lō-
geuiōres viuebant. Hęc em̄ primeua mūdi eras
est vt oriētalis plaga: nostra vero velut occidua.

3 An post diluuiū: equa pmāserit quat-
tuor elememētorū virt⁹: tā in gignēdis
q̄ conseruandis animalibus & plantis?

Minime. Nam ab aquis imprimis suffocata est
terra: & ad plantarum atq; animalium genera-
tionem inualidior effecta. Cætera quoq; elemen-
ta, ex inæqualitate & alluuiōne aquarum, etsi
aquis obruta non fuerint: nonnihil tamen distē-
peramenti passa sunt & ad animaliū conserua-
tionem, paulo insalubriora euaserunt.

4 Quę elemēta gnatiōi minorū etiū cō-
gruūt & q̄ saluti seu cōseruatōi eorū dē?
Minora etiā: sunt Mineralia, Vegetabilia & ani-

Questionum

Theologicarum

malia que & ex materia sunt & in elementis de- 8
gunt. Horum itaque generationi & procreationi,
congruunt duo inferiora elementa terra & aqua
eorum autem salutem & conseruationem Aer & ignis
deputantur. Nam presertim ex terra & aqua: sen-
sibilia cuncta gignuntur: & primum esse recipiunt.
Habent autem ab aere & igne bene esse: quam ap-
pellamus temporariam eorum salutem. Etenim
aerem spirant & ab igne refouentur.

5 Cum aer & ignis non fuerint obruti
aquis diluuii: quo pacto eorum virtus
diluuii non nihil passa est & hebetiori 9
acumine facta?

Quia complexio & moles quattuor elemetorum,
est sensibilis mundus: qui est vt quoddam animal,
aut vt vnus animalis corpus. Sicut igitur acci-
dit in animali & in minore mundo: ita & cogit
in maiore. At in animali: inferioribus membris,
superiora compatiuntur. vt nimis humor ob-
ruens precordia: etiam capiti & cerebro dolore plerum-
que infert. Superiores itaque mundi partes vt aer &
ignis: ad hunc modum partium inferiorum vt terra &
aque immutatione, non nihil perpeffa sunt.

6 Quibus presertim entibus pernicio- 10
se fuerint aque diluuii?

Quattuor sunt perfectarum rerum gradus: mineralium
vegetabilium, brutorum animantium & rationalium.
Fuerunt autem diluuiiales aque superioribus gradibus,
quam inferioribus perniciosiores. Nam mineralia & pla-
te minus ab aquis corrumpuntur: quam homines & multa
animantia. Sunt enim inferiora entia, solidioris &
permanetioris substantie: quam entia duorum prestanti-
orum graduum: quorum corpora que carnea sint: per-
facile ab aquis resoluuntur.

7 Que precipue animantia diluuialibus 11
aquis interierunt & emortua sunt?

Prestantiora vt gressilia & volatilia: que & in ae-
re viuunt: et aut exteriore igne (cui contraria est
aqua) calefieri & refoueri nata sunt: vel interio-
re calore predata sunt. Et aeris respiratioue egent.
Que autem nec excutaneo calore refoueri egent, nec
aerem spirant vt natatilia & serpentina: his & hu-
iusmodi animalibus: diluuiiales aque minus exi-
tiose fuere.

An elementum aque sit aliquo modo
corruptum diluuii aut virtute immutatum?
Naturalis aque humor, in animali quod flegma vocatur:
certam habet mensuram ac terminum. qui si plus equo
inundauerit: & ceteros humores corrumpit & sibi ipsi
quoque fit exitiosus: exuperans eam quantitatem: qua de
saluare animal & saluari in animali natura est. Dic igitur
& eo modo, de elemento aque in mundo. Nam
sensibilis mundus, quattuor constat elementis.
Inundatio autem aquarum: & cetera elementa & fle-
gma mundi aliquo pacto immutauit.

Quare mundi elementa naturalem sui
figuram hoc est innatam rotunditatem
seruant?

Duo superiora, aer & ignis. Nam ignis attiguis
est celo lune: eiusque suprema superficies, par est
concave superficiem celi lune. Aer quoque igni vicin-
us est & eiusdem figure. Etenim hec duo elementa
& puriora sunt: & ab animalium conuersatione
semotiora. Porro terra & aqua, que plurima ani-
malibus prestant: suntque illis propiora: ob anima-
lium salutem, ab innata rotunditate sunt a deo
prouide immutata.

An per diluuium: elementum aque ad
naturalem usque sui figuram innatamque ro-
tunditatem ascenderit?

Nequaquam. Etenim diluuiiales vnde: paradysum
voluptatis minime alluerunt. Superfuit igitur
pars aliqua terreni orbis: nequaquam obruta aquis
diluuii, sed illis eminentior. Haud ergo per dilu-
uium: elementum aquarum, ad naturalem usque sui
rotunditatem ascendit: quandoquidem natura-
lis status aquarum exigit: vt ille vniuersam ter-
re superficiem operiant, nullam eius partem ar-
dam & nudam relinquentes.

An preter voluptatis paradysum ois
reliqua terreni orbis pars aquis diluuii
stagnauerit?

Id sola reuelatio, non ratio aut humana inquisitio do-
cere potest. Dicit autem scriptura: optati sunt omnes mon-
tes excelsi, sub vniuerso celo. Quidecim cubitis,
altior fuit aqua: super montes quos operuerat: quasi
nullos montium excipere videatur: quos aquarum
non operuerint. Credimus enim omne humanum

genus præter Noe & filios eius & vxores eorum: diluuiabibus aquis obrutos interiisse. Satius igitur est sentire: oem reliqua terreni orbis partem, præter voluptatis paradysum diluuió renouatum.

12. Qui sunt numeri triu dimensionum & interuallorum archæ in qua saluatum est humanum genus?

Dixit dominus ad Noe: facti tibi archa de lignis leuigatis: & sic facies eam. Trecetorum cubitorum erit longitudo eius: quinquaginta cubitorum latitudo: & triginta cubitorum altitudo illius. Hi sunt numeri, hæ mensura trium dimensionum & interuallorum: hoc est longitudo, latitudo, & profunditatis siue altitudinis eius archæ: in qua & hominum & sensibilibus animantium genus, saluatum est a diluuió & inundatione aquarum.

13. Quis e tribus numeris interuallorum archæ: numerus conflatur?

Numerus trecetorum & octoginta cubitorum: qui dierum anni numerum, transfilit quindenario: quo aqua diluuii, iis quos operuit moribus: extitisse superior celebratur. Et si ab hoc numero trecetorum & octoginta, deperis quinarium: residuus fiet dierum numerus, quibus Noe cum vniuersis animantibus terre, moraturus est in archa: hoc est treceti septuaginta quinque. Vno quippe anno & diebus decem in archa latuit. Nam decimo septimo die mensis secundum ingressus in archam: septimo & vigesimo eiusdem mensis die, ex eadem egressus est.

14. Cur quadraginta diebus ut fieret diluuium pluit super terram?

Quadragenarius numerus, est plenus mysterio, sub quo complura alia, passim in sacris eloquiis mystice facta recensentur: de quibus suo loco non nihil dicturi sumus. Hic enim quater denarium sumit inuoluitur. Porro quaternarius numerus est elementorum: denarius vero numerus celestium rationum mobiliumque celorum. Exprimatur igitur aliquo pacto hic quadragenarius: in vniuersa mole maiorum mundi corporum, celos & elementa completente. Quapropter in quadragenario numero: mundus repurgandus inundauit.

15. Quot homines in archam ingressi: persuere diluuió?

In secundo cubo id est octonario: superfuit humanam genus saluum diluuió. Nam tantum octo homines ingressi sunt archam: quattuor viri & quattuor mulieres. Noe & vxor eius quam Berofius Tytheam magnam vocat. Gentes vero nuncupauere vestam: que sacrum ignem virginibus, eternum seruari precepit. Tres quoque filii Noe. Sem, Cham, & Iaphet: & tres vxores eorum: quarum nomina Berofius hæc esse refert: Pandoram Noelam & Noeglam.

16. An ex omnibus animantibus terre secundum speciem: ingressa sunt archam?

Cuncta perfecta animantia terre secundum speciem ingressa sunt archam: præter piscium generum. Nam generi piscium creatorumve natatiliu: diluuiabiles aqua exitiose non fuerunt: utpote quorum natura est in aquis viuere, saluari, conseruari. Quapropter necesse non fuit, ut consuleretur piscium saluti: vtillos pisces introduci in archam. Introierunt autem in archam volatilia & gressilia: ex immundis quidem bina & bina masculus & femina. Ex mundis vero septena & septena vtriusque sexus.

17. Que sunt perfecta animantia: & que imperfecta.

Perfecta animantia hæc sunt: que duntaxat generationis serie abinuicem oriuntur: cuiusmodi præcipue sunt gressilia, volatilia & natatilia. que que fere in omni horum genere, nonnulla reperiuntur imperfecta: que aliter quam generatione, ut sponte e terra nascuntur. Imperfecta vero sunt que sponte: ut corruptione & putrefactione quadam in terra, aqua aut aere gignuntur. Et ex his, complura sunt semen sexusve habentia, que etiam naturali ordine posteritatem gignunt.

18. Cur potius perfecta animantia quam imperfecta inducta sunt in archam?

Quia perfecta animantia: duntaxat naturali sermine & generationis serie, ex seinuicem oriuntur. Non autem sponte e terra. Oportuit igitur ex omni specie perfectorum animantium: nonnulla induci in archam: ut futurarum generationum initia & seminaria saluarentur: totique posteritati consuleretur. Ex imperfectis autem animalibus que sponte ut corruptione elementorum vel aliorum

Questionum

animalium gignitur: haud opus fuit vlla in ar²¹ cham inuchi: cum hæc Indies a sole & corruptioe inferiorum corporum, noua reparentur, vt alluuius Nili fluminis in Aegypto: quæ quæ plurimis huiusmodi animalium præstat originem.

19 Cur ægyptii humanum genus ortum in Aegypto: sequitur mortalium antiquissimos esse fabulantur?

Id faciunt argumento Nili fluminis: qui præter naturam & consuetudinem fluuioꝝ: quotannis non hyeme vt ceteri solent: sed æstate, aquis increbescens: totam Aegyptum cœlesti pluuiâ carentem alluit. Vbi autem decrescens in alueum remeauit: mox in solo Aegypto a sole torrefacto (Aegyptiorum quippe zenith: sol dum in cancro est prope modum contingit) passim imperfecta huiusmodi animalia pullulare & ebullire cernuntur. Hoc experimēto delusi Aegyptii: autumauerunt eo quoque modo a sole & humeris terra, sponte ortum esse hominum genus in Aegypto: quo & imperfecta ac zoophita animalia exoriri viderunt: atque ideo mortalium antiquissimos cecinerunt.

20 Cum & hominum genus & cuncta animalia sint e limo terre absque vlla generatione orta ab initio: an sint ideo imperfecta? Quia hominum genus & cuncta terræ animalia haud quaquam naturalis generationis ab initio ex orta sunt: sed vltimo ex aquis, vel e limo terre: non ideo imperfecta vocentur. Nam hic primordialis eorum ortus, creatio appellatur: quæ perfecta est absque medio, ab actu diuino. Imperabat enim verbum dei aquis & terris dicens: producant aquæ reptile animæ viuētis & volatile super terram. Deinde producat terra animam viuētē in genere suo: lumēra & bestias terræ secundum species suas. Hoc enim pacto prima rerum omnium origo: tantum semel ad diuinum spiritum verbumque refertur: quâdoquidē creatio vniuscuiusque speciei semel a deo facta: haud postea fuit refumenda. Quod enim semel creauit deus: non deinceps re-creauit. Nam sequens generatio supplet perficitque: quod creatione, fuit primitus a deo inchoatum. Fuit igitur omnium animalium tam perfectorum quam imperfectorum: vnicus e nihilo ad esse produndi, per creationem modus: quod deinceps non resumitur.

Theologicarum

Cur sicut omnia animalia orta sunt ab initio: vel ex aquis: vel e limo terre absque vlla generatione: ita & eodem modo deinceps exoriri nequeant?

Quia vt in præcedenti diximus: primum ortus creatorum animalium primæve eorum origo: extitit creatio quæ semel facta, postea non iteratur. Tantum enim semel & tantum vnus hominem: e limo terre creauit deus: quod est pater omnium hominum: a quo ceteri homines, non lege creationis: sed serie generationis produciuntur. Et ita de vnaquaque perfectorum animalium specie dicendum: ad cuius primum duntaxat indiuiduum est referenda creatio: generatio vero ad indiuidua sequentia.

22 An imperfectorum animalium vt reptilium & zoophitorum origo: quæ in dies e limo terre aut corruptione elementorum aut putrefactione inferiorum corporum gignuntur sit creatio aut generatio? Neque est perfecta creatio, neque vera generatio. Nam perfecta creatio exigit: vt diuinus actus, sit immediatum primumque efficiens: vti fuit ab initio imperans aquis & terris. Vera autem generatio exoptulat: vt a simili in specie producat. At imperfectorum animalium, quotidianus ortus e limo terre: vel corruptione inferiorum corporum, nequaquam sit a simili in specie. Insuper & ad diuini verbi imperium haud quaquam refertur: sed ad inferiorem aliquam causam, vt ad solem, qui fere communis & immediata causa est originis huiusmodi imperfectorum animalium. Horum itaque ortus nec est vera generatio: nec perfecta creatio.

23 Quæ sunt munda animalia: & quæ immunda?

Munda animalia definita sunt a deo, Moyse: quæ & ruminant & aperiant ungulam: vt oues, cerui, boues: & cetera id genus. Immunda vero quibus horum duorum alterutrum, aut vtrūque deest: hoc est quæ etsi ungulam aperiant atque diuidant: tamen non ruminant: vt sus, lepus, aut quæ ruminant quidē: sed ungulam non aperit vt camelus. In genere autem naturalium munda sunt: quæ pinulas & squamas habent. Quæ autem his carēt: immunda vocantur: vt anguilla. In volucribus

autem omne quod coruini generis est: quod item quadrupes est & non salit: immundis animantibus annumerantur.

24 Cur præcepit deus ex immundis animantibus tantum bina & bina: ex mundis vero septena & septena in archa seruari? Id forsitan alludit ad rationem numerorum binarii & septenarii. Nam sicut præstant munda animantia immundis: ita & septenarius binario. Est enim septenarius, numerus consummationis vniuersi. Dyas autem ut supra recensuimus a plerisque theologis: ut infamis immundusque numerus reputatur: tanquam qui numerus sit immundorum spirituum: quos totius secessionis a deo auctores esse credimus. Haud ab re igitur immundis imperfectisque animantibus dyas: mundis vero atque perfectis eptas applicatur. Adde quod crebrior & facillior est immundorum animalium, quam mundorum generatio. Oportuit itaque ex mundis plura: ex immundis vero pauciora in archa seruari.

25 Cur Phœnices: Aegyptios insectati: se omnium antiquissimos esse voluerunt? Id fecere duplici argumento: primo quod in phœnicia velint ante diluuium, primam mundi ciuitatem extractam fuisse. Hanc enim ut voluerunt condidit Cayn Adæ filius: appellauitque eam Enos a nomine filii sui. In hac dixerunt habitasse gigantes ante diluuium. Noam quoque gigante, cunctorum hominum post diluuium parentem: indigenam fuisse: & in phœnicia archam extruxisse: cunctis animantibus terra salutiferam. Hanc autem euersam diluuius: ac post diluuium reliquias multo tempore apparuisse. Demumque ciuitatem aliam ibidem conditam nomine loppen: in qua erat Petrus, quando accersit eum Cornelius centurio: ut baptizaret ab eo. Secundo quod ut fabulosus Herodotus scribit: quidam rex Aegypti experimēto didicit antiquissimam ac naturalissimam mortalium linguam esse Phœnicium: quod beccus apud Phœnices, panem significet: quam vocem Decennis puer (quem rex Decennius claudius iusserat: & quicum rerum ei ostendi vetuerat) e triclinio productus primam emisit. Nam manu ptenisa beccus sapius replicas: tanquam & fame perurgente & natura dirigente, esurire se & panem

expetere designabat. Hoc argumento, fabulatur Herodotus cognitum a rege Aegypti: naturalem hominum linguam esse Phœnicium: quam infantes a nemine mortalium edocti instructique loquerentur. Adde quod & Phœnices: se primos esse litterarum inuentores auctore Cadmo, gloriantur. Primæ quoque theologiæ inuentionem, sibi ipsis ascribunt: quam cunctorum mortalium volunt esse partem & conseruatricem.

26 Cur & scythæ omnium mortalium se primos esse gloriati sunt?

Nomen primi, ad scythas alludit. Nam scythica lingua, scythia primus vocatur. Res autem, haud multum distat a nomine. Nam in Armenia (quam scythiam sagam Berofus appellatam dicit) post diluuium, reparatum est humanum genus. Requieuit quippe archa iuxta eloquium: post centum & quinquaginta dies, in montibus Armeniæ. Gordieum montem, Berofus appellat: in quo requieuit. Subiectam vero huic monti planiciem: vocatam dicit Myriadam, id est euisceratorum hominum sine gigantum: qui instante vixenteque diluuius: cum ad montes diffugerent, in imo ab aquis oppressi interiere. Haud immerito igitur Armeni Scythæ, apud quos prima facta est humani generis instauratio: post diluuium se primos fuisse gloriatur. Extracta est enim archa in Phœnicia: delata ab aquis diluuii, usque in Armeniæ: a qua disseminatus est rursus humanus genus, in omnem terram.

27 Qui populorum satius & secundum veritatem dicendi sunt primi?

Syri, si tamen verum est Adam creatum fuisse in agro Damasceno: e limo terræ agræ & regionis eiusdem. Nam Damascus caput est Syriæ. Et qui huius opinionis sunt: aiunt insuper Adam eiectum e voluptatis paradiso: reuersum esse in terram creationis suæ: ibique & genuisse filios & humanum genus propagare cœpisse. Mortuum vero sepultum in cœualle Mæbre: in loco Therebynthi. Hæc habent nonnulli libri quos agyoglyphos appellat. Nos vero hæc duntaxat & nulla insigniori auctoritate inducti: ista recensemus. Tantum igitur auctenus mentibus legentium hæc

Questionum

Infideant: si iudicabunt fabulosa & a veritate aliena.

28 An Sem filius Noe sit (vt volunt non nulli) Melchisedech rex salē: qui Abrahæ a cede regum reuertenti: legitur panem & vinum obtulisse?

Nequaquam: si diuo Ignatio & sacris eloquiis consentimus. Nam iuxta sacra eloquia: Sem post diluuium, cum centum esset annorum genuit Arphaxat. At vero diuus Ignatius Melchisedech regē & sacerdotem Salem: in epistola quinta ad Philadelphenses inter virgines commemorat. Ait enim memor sui sanctitatis vestra, sicut Helia: sicut Iehu naue, sicut Melchisedech sicut Helisei, sicut Hieremie, sicut Ioannis baptista, sicut dilectissimi discipuli, sicut Clemētis: & aliorum qui in castitate de vita exierunt. Hæc de virginibus diuus Ignatius. Non est igitur Sem, vt nonnulli volunt Melchisedech.

29 Cur proxima ætas quæ successit diluuiō appellata est aurea: cum nōdum aurum: aut nosset aut cuperent mortales?

Etsi proxima ætate quæ successit diluuiō, aurum nondum aut nosset aut cuperent mortales: hæc tamen vocata est aurea: & ab hominum bonitate ac morum simplicitate: & a renouatiōe seu purificatione mundi per diluuium: vixerunt enim primi illi maxima pro parte contenti his quæ sponte nascebantur e terra. Nondum ciuitates extruxerant. Nondum in domibus immotis altisq; tricliniis accubabant: sed in tentoriis velut peregrini: super faciem terre habitabant. Nullus aut quicquam suum esse dicebat: aut alienum rapiebat. Non ferum nouerant, non diuites gazas comparabant: victu & opimento contenti. Hæc nimirum insignis hominum bonitas ac naturalis simplicitas, optimo metallorum auro comparata: eam ætatē auream nuncupauit.

30 Quādiu stetit hæc aurea & innocētissima mundi ætas?

Ducentis & quinquaginta annis vt ait Berofus: vsq; ad initium regni Assyriorum & ætatē Abrahæ. Adhuc superstes erat Noe, humani post dilu

Theologicarum

uium generis pater: quando hæc ætas violari cœpit: quando auream morum felicitatem: infelici dominandi libidine, in rapinam & alienorum bonorum concupiscentiā commutauit. Nam vixit Noe post diluuium trecentis & quinquaginta annis: post quos deficiens mortuus est: & in Italia quæ tum Kythis dicebatur sepultus. Nam in ianiculo monte: qui ab eo nomen sumpsit.

31 Vbi: per quem & quomodo hæc sanctissima mundi ætas violata deperit? In Caldeæ: per Nymbrotum, libidine dominandi. Nam vt sacra eloquia testantur: primus Nemroth cœpit esse potēs in terra a quo exiit prouerbiū quasi Nemroth robustus venator coram domino. Is enim primus bella excogitare cœpit: & finitimos populos sibi obtemperare coegit. Pugnis primum rudes & ignari populi certauere: deinde de fustibus lignis lapidibusq; res agi cœpit: quousq; eruto e visceribus terræ ferro, eo certatū est.

32 Quis primus assertor inuentorq; fallacis magiæ: quæ etiā aureæ ætatis sanctitatem violauit?

Cham filius Noe quem aliter Zoroastrem quasi in astris natum vocauerunt. Hic dormiētem & minus honeste iacentem patrem irrisit: & vt ait Berofus magicis artibus incantauit ac sterilem effecit. Quapropter huic maledixit pater: qui ceteris duobus filiis Sem & Iaphet patrem reuerentis, benedixit: eorumq; seruituti. Cham & semen eius in æternum subiecit. Huius semen quippe ab initio (vt ait Salomon) maledictum: postea in terra Chanaan, a filiis Israel ascendentibus ex Aegypto legitur exterminatum.

33 A quibus Cham: filius Noe: fallacē & inimicā deo magiam didicerit?

A demonibus vt & fides historiarum tradit & ratio consentit. Nam demones primi a diuina amicitia & pace discessere: & eas artes excogitauerunt: quibus fallaci astu, humanum genus circumuenirent: & secum a diuina amicitia exturbatum: pellicerent in omne scelus. Etenim cum sint hostes humani generis: vt tamen amicos & beniuolos: his actibus ab hominibus se cogi posse, mentiuntur. Primus Cham, eas a demonibus didicit: qui

etiam nascens, malum futurae nequitiae dedit specimen. E cunctis enim mortalibus, vnicus in naturitate risit: cum ceteros hominum, ex utero minoris mundi, in maioris mundi orbem prodeuntes tristitudo ac fletus excipiat. Hinc ut iustas penas luentem: demon quem importunius vexabat, ambussit. Alii a Nino primo babiloniorum rege cesum volunt. Hic primus rex Persarum Aegyptiorum & Bactrianorum fuit: qui etiam ab eo magiam didicerunt.

34 Quopacto magia fallax: aureae aetatis & morum sanctitudini obesse potuit?

Quia huiusmodi magia, excogitatio est & adinuentio demonum. Omnis autem demonum (quod alieni sunt a summo bono) ars: est & deo & hominibus inimica: edocens ea ab hominibus opera paritari: quibus deus irretetur & super hominum genus illius ira prouocetur. Hac magia inuisibiles mulierum raptus ostendit, amores inflamat, sanguine humano demones pro diis placari iubet illicita pleraque & indigna admittit. Hac irretitus Cham voluit quos ante diluuium viderat gigantum mores: rursus post diluuium inserere simplicibus hominibus. Quapropter Cemesenus id est humani generis corruptor, appellari meruit: & a patre Noa ipse cum filiis, seorsum a ceteris habitare iussus: in Aegyptum abiit ibique primus regnavit. Sicut igitur hominum innocentiae ac naturali simplicitati astus demonum obest: ira & magia obfuit autem aetatis.

35 Quid maxime vitiauit auream mundi aetatem?

Idololatria seu primus Idolorum cultus. Huius autem idololatriae: primus ut hystoriae tradunt assertor fuit Ninus: rex primus babilonis Beli filius Nymbrothi nepos, Is enim (ut forte paterne mortis dolore angebatur) ob eternam patris memoriam, eius imaginem sculptam expressit: eamque rudibus adhuc populis, ut aliquid diuinitatis habentem colendam exhibuit. Hinc opportune occasionem namque demones seducendi humani generis: in sculptis imaginibus habitare, latitare, seque deos mentiri ceperunt. Hinc varia hominibus edidit respo-

sa. Haec itaque prima tenebrarum lues: ignorantia veri dei totiusve aureae aetatis vitiositatem & corruptionem inuexit.

36 Vnde idololatria & veri dei ignorantia in mundum processit?

Hinc idololatria processit in mundum, vnde & superbia. Idem enim ambarum est initium. Diximus autem superbiae initium tam in hominibus quam in demonibus: esse suis ipsius amore quo diuinus amor obtenebratur, occulitur, occubitus. Quia enim amauerunt impiis demones seipsos plusquam deum: voluerunt & in caelis & in terris ut dii haberi. Hi vero per superbiam e caelis ruentes: ab hominibus pro diis habitati sunt. Homines vero etiam demones imitati: aut sibi ipsis aut suis (quos in carne viuentes dilexerant) post mortem diuinos honores & sacrificia exhiberi iusserunt.

37 Quod fuit primum mundi regnum?

Sicut ab oriente emergit lux in mundum: ita & in oriente, primum exortum est mundi regnum, quod Babilonis est appellatum. Cum enim ut ait scriptura proficiscerentur de oriente: inuenerunt caenum in terra Sennaar & habitates in eo dixerunt. Venite faciamus lateres & coquamus eos igni. Et rursus: faciamus ciuitatem & turrim: cuius cacumen pertingat usque ad caelum. Haec igitur fuit prima ciuitas mundi post diluuium, auctore Nymbrotho: condita in oriente Babilon appellata. Fuit enim ut consentiunt sacra eloquia initium regni eius Babilon. Hoc itaque fuit primum mundi regnum.

38 Cur ab oriente: prima ceperunt mundi regna?

Regna, reges, ciuitates, leges, haec omnia propter conseruationem iustitiae: ob item cultum ornatumque populorum sunt excogitata. Placuit igitur deo ut cultus iustitiae (velut mundana: quaedam hominum lux) primum in ea mundi plaga floareret: a qua & lux exoritur in mundum id est in oriente. Nam ut sepius diximus oriens est dextrum mundi: & naturales mundi lationes a dextro fiunt in sinistram: ut fluuii pene omnes ab ortu in occasum ferri videntur. Ab Adam

Questionum

quoque motus in Euam est vt quædam a dextro in finistrum conuersio.

39 Cur id primum mundi regnum quod floruit in oriente: cum vicariet & corruptio perit auream etatem: est aureum appellatum?

Id regnum haud consideratione prioris aureæ ætatis, quã vitiauit atque corruptio est aureum appellatum: sed collatione sequentium regnorum: quæ postea in cæteris mundi plagis sunt exeruit. In eo quippe primo mundi regno, nondum tam corrupti erant hominum mores: vt argenteo vel imperfectiori cuidam metallo similes haberent: sed adhuc vt magna ex parte simplices & boni: aurei, sequentium respectu vocati sunt.

40 Quod fuit secundum mundi regnum a sacris eloquiis argento figuratum?

Regnum Persarum: quod inchoatum est a Cyro quem Esaias, centum fere annis priusquam nasceretur, in spiritu prouidens: hec de eo locutus est. Qui dico Cyro: pastor meus es & omnem voluntatem meam complebis. Et iterum hec dicit dominus Christo meo Cyro: cuius apprehendi dexteram vt subiiciam ante faciem eius gentes: & dorsa regum vertam. Ego suscitavi eum ad iustitiam: & omnes vias eius dirigam. Ipse edificabit civitatem meam: & captiuitatem meam dimittet, non in precio neque in muneribus dicit dominus. Hic enim Cyrus babylonem cepit: & captiuitatem iudeorum, septuagesimo captiuitatis anno libertatem dimisit. Persarum autem regnum Danielis secundo: argenteo figuratur. Nam interpretatur Daniel: somnium regis babylonis, dixit ad eum. Tu es ergo caput aureum: Et post te consurget regnum aliud minus te argentum, quod manifeste de persarum regno intelligendum. Nam babyloniorum monarchia per Cyrum: est in persas translata.

41 Quod tertium mundi regnum ære a scripturis signatum?

Regnum magni Alexandri: qui Darii rege victo, Persarum imperium subuertit. Huius regnum a sacris eloquiis, in somnio Nabuchodonosor, etiam comparatur dicente Daniele: Et regnum tertium aliud cretum: quod impabit vniuersam terram. De Alexandro vero Danielis octauo hæc legunt. Ecce autem

Theologicarum

hircus caprarum veniebat: ab occidente & non tangebatur terram. Et habebat cornu insigne, inter oculos. Et venit usque ad arietem illum cornutum quem videram stantem ante portam: & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis sue. Cumque appropinquasset prope arietem: efferatus est in eum: & percussit arietem & comminuit duo cornua eius & non poterat aries resistere ei. Cumque eum misisset in terram conculcauit: & nemo quibat liberare arietem de manu eius. Hircus autem caprarum, magnus factus est nimis. Hæc de Alexandro & Darii. Nam per arietem Darius: per hircum vero Alexander intelligendi.

42 Quod quartum mundi regnum ferro a scripturis comparatum?

Monarchia Romanorum: de qua Danielis secundo, in somnii interpretatione. Et regnum quartum erit velut ferreum. Quo modo ferrum comminuit & domat omnia: sic conteret & comminuet omnia hæc. Nam hæc monarchia fuit cæteris insignior. Babylonii quippe & perse: tantum in asia & egypto regnauere. Alexander partem tantum europe. Nam Græciam Asiam & partem Africæ perdomuit. Romanorum autem arma terræ mundi partes Asia Europa Africæ sensere: & illis parere. Quapropter id imperium velut cæteris vniuersalius ac durius: haud ab re durissimo metallorum ferro comparatur.

43 Cur hæc præcipua & maxima mundi regna: quattuor metallis auro: argento ære & ferro figurantur?

Quia inter entia sensibilis mundi: nulla sunt mineralibus vt metallis solidiora, duriora & corpulentiora: ideo hæc regna que secundum hominum voluntatem & non secundum deum apparatusunt: merito vt dura, corporea & crudeliter in hominibus dominata: metallis figurantur. Quanto enim mundus ab aurea etate consenuit: tanto duriores effecti hominum animi priscum virtutum aurum: sensim in argenteum, in æs: demum in ferrum commutauere. Non iniuria igitur mundi senectus & virtutis cum ætate degeneratio: in his quattuor regnis. per metalla: aurum, argenteum, æs & ferrum signatur.

44 Quibus bestiis: hæc eadem regna a sacris scripturis comparantur?

Somnium Danielis quod septimo capite eiusdem recensetur: hæc quattuor regna bestiis confert. Videbatur in visione mea nocte. Et ecce quattuor venti cæli pugnabant: in mari magno. Et quattuor bestie grandes ascendebant de mari. Prima quasi leona: & alas habebat aquilæ. Aspiciebatur donec euulsa sunt alæ eius: & sublata est de terra. Et ecce bestia alia similis visio, in parte steterit: & tres ordines erant in ore eius & in dentibus eius. Et dicebant ei: surge comede carnes plurimas. Post hæc aspiciebam: & ecce alia, quasi pardus: & alas habebat quasi auis, quattuor super se. Et quattuor capita erant in ea: & potestas data est ei. Post hæc aspiciebam in visione noctis. Et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis & fortis nimis. Dentes ferreos habebat magnos: comedens atque comminans & reliqua pedibus suis conculcans. Dissimilis autem erat ceteris bestiis quas videram: & habebat cornua decem. Ego Daniel territus sum in his: & visiones capituli mei conturbaverunt me. Accessi ad unum de astantibus: & veritatem querebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi: Hæc quattuor bestie magne, quattuor sunt regna que consurgunt de terra. Merito igitur hæc regna de terra sunt: rectura dicunt: quandoquidem regnum dei quod hæc regna subvertet, de cælis consurgit. Conferuntur itaque bestiis & monstrosis animantibus: per que ferina & bestialis hominum vita, sub cultu idolorum signatur.

45 Quæ differentia est horum regnorum secundum orbis & mundi partes?

Regnum babilonis primum, regnum est orientis. Regnum secundum id est persarum: regnum meridiei. Tertium vero regnum Macedonum: regnum aquilonis. Romanorum autem imperium quartum super premiumque: regnum occidentale vocatur. Hoc enim pacto ab oriente, per medias meridiei & aquilonis plagas: terrena mundi regna in occidentem fluxerunt. Duo prima regna in Asia: duo vero sequentia, in Europa floruerunt. Advertendus in his error Orosii historici: qui oblitus regni persarum: Carthaginensium imperium: pro regno meridiei sumpsit: cum de Carthaginensium imperio: nulla in sacris scri-

pturis mentio habeatur. Quobrem id inter quattuor precipua mundi regna: nequaquam numerandum.

46 Quo pacto in his quattuor regnis: confatum est idolum mundi?

Regnum orientis, est ut aureum caput idoli mundi eiusve statue que Nabuchodonosori regi per somnium apparuit. Regnum persarum: est ut eiusdem idoli pectus & brachia argentea. Alexandri vero regnum: eius statue vitæ & scemora, ex ære constructa. Eius autem ferreas tibias: Romani sculperunt. Hoc pacto sensim in quattuor regnis terre: confatum est idolum mundi. Hæc enim statua: cuius caput ex auro, pectus & brachia ex argento: venter & scemora ærea, Tibie vero ferreæ: Idolum est uniuersi: & ignorantia veri dei: que quoad hæc regna steterunt in hominibus diabolo obsequentibus grassabatur.

47 Quod erit quintum & supremum mundi regnum cunctis prioribus regnis excelsum?

Regnum cæli: quod stabit in æternum & occupabit omnem terram. Id enim regnum, bifariam in Daniele signatur. Primo per lapidem abscissum de monte sine manibus: & percutietem statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus: & comminuetem illam: usque a deo ut ferrum, æs, argentum & aurum: redacta sint quasi in favillam, nullusque locum inuentus sit eis. Secundo vero per filium hominis, venientem in nubibus cæli: post transitum quattuor priorum bestiarum, per quas regna terre significari diximus. De hoc enim hominis filio scribitur quoniam potestas eius potestas æterna que non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur. Suscipient enim regnum sancti dei altissimi: & obtinebunt regnum usque in seculum & seculum sæculorum.

48 Cur regna terre per metalla & bestias: regnum vero cæli per lapidem & hominem signatur?

Quinq; mundi regna a scripturis: aut per mineralia, aut per animalia signantur: sed quia regnum cæli alterius erit speciei a regnis huius

Questionum

mundi: hinc per mineralē & p animal diuersa specie, a ceteris mineralibus & animalibus: illud figuratur. Nam regna terre metallis: regnū vero cœli lapidi cōferunt. Cū em lapis duricie a metallis superet: præter tamē naturā, diuina virtute fiet: vt metalla lapidis allisione quatiant & in nihilū redigantur. Infirma quippe mundi q̄ elegit de⁹ cōfundent fortia. Et rursum regna terræ bestiis, regnū vero cœli per hoīem figurant: quod referendum ad hoīm vitā. Nā i regnis terre: hoīes deū verum ignorātes & demōib⁹ obsequētes bestialiter vixerunt. In regno aut cœli: hoīes aut vt hoīes aut supra hoīes: diuina imitacione immortales viuent.

49 An qui turrim Babel vsq; ad cœli attactum extruere moliti sūt: id fecere: vt p̄ eam (quod volunt nonnulli) in cœlū cōscenderent deos expugnaturi?

Poetarū fabula, montes a gigantibus extractos canit: tanq̄ per eos in cœlū (expugnacionis deorum gratia) conscensurus. Sunt & qui velint post diluuiū, turrim babel: ea quoq; de causa, ab hominibus inchoatā: quā ad cœli attactū pducere moliebant. Verior aut opinio fatet: eos huiusmodi turrem, non vt per eam cœlos appeteret, aut deos expugnarent, edificare cepisse: sed correptos timore paulo ante facti diluuii. Vt si iterū fatales aque inundarent: hæc turris nonnullos ad se confugientes, cataclysmo eximeret.

50 An cœli sint ex materia facti?

Nonnulli volūt cœlos esse factos ex materia. Cæteri vero nō esse ex materia. Nos vero cœlos ipsos cōuertī cū materia: & vna cū illa creatos esse asseruamus. Adiciunt insup aut illos nō esse ex materia: aut esse ex materia clarificata, sincera, & pura: quæ ab omnī priuatione, potentia & variōrum actuum appetitione, libera absoluta et repurgata sit: quasi materia ab initio cōsummata.

51 An cœli ipsi sint more trium superiorū elementorum aquæ: aeris: & ignis: molles ac liquidis?

Nequaquā: vt in anteprecedente docuimus. Nam cœli termini sunt sensibilis mundi: distinguētes dirimentesq; inferiorum corporum regionem a regione sublimium spirituum: adeo vt sicut præ-

Theologicarum

ter naturam sublimes illi spiritus sub cœlis sunt ita & extra naturæ seriem inferiora & materialia corpora cœlorum substantiā penetrare nata sunt. Sicut enim puri & incorporei spirit⁹ sub cœlis peregrinatur ad nos: ita & caro omnis corpusve ad peregrina ducitur: dum supra cœlos diuina virtute collocatur.

52 An cœli palpabiles sint habeantq; vltimas materiæ qualitates?

Cœlorum substantia: aliquo pacto media est inter substantiam spiritalem & materialem. Nam cœlestis ambitus: omnem materiam ab simplicium & immaterialium spirituum attactu diducit atq; secludit. Habent igitur cœli tanq̄ mediū inter spiritalem & materialem substantiam: non vltimas vtriusq; qualitates. Assimulantur enim materia: q̄ solidi, palpabiles, impenetrabiles, corporei & extensi sint. Similes autem sunt spiritibus: q̄ cōsummati & perfecti ab initio: clari, lucidi, puri, integri ab oī priuatione & varia appetitōe alieni.

53 An hi qui eam ædificauere turrem: naturali lingua vtebantur: q̄ ibidem in cunctas linguas a deo dispartita sit?

Huic percōtationi ratione aut fide historia satisfacere arduum est. Nam perpauca, ne dicā præter Moysen nulli: nouerunt mundi statum ante diluuiū. Siquidem & ea quæ de gigantibus & primeuo illo mundi statu Moyses posteritati reliquit: nulli dubium est hunc nec humana ratione nec ab aliis hominibus, sed angelica reuelatione didicisse. Quapropter cum de naturali mundi lingua, nihil locutus sit, nec vllō indicio illam prodiderit: nos etiam an esset naturalis & prim⁹ hominū sermo, quo Noe & filii eius & cuncti homines ante extructionē turris Babel vtebantur, ignorare fatemur.

54 Quæ est naturalis hominū lingua: seu antiquissimus eorū sermo?

Hæc lingua isve sermo: quo deus ad Adam locutus est in paradiso: quo etiam serpens p̄thoplastos blandis vocibus demulcens, eos viperino astu delusit. Hoc enim sermone quem in paradiso didicit Adam: deinceps cū vxore et filius vsus, eundem ad posteritatem traduxit. Cōrigit tamē

ante diluuium: cum vniuersus orbis, ab hominibus habitaretur: plures variasq; linguas in mundo fuisse. Et placuisse forsan deo, vt naturalis sermo qui ab Adam fluxerat: per Noe & filios eius, fieret superstes diluuiio. ideoq; fuisse naturalē linguam: qua utebantur, qui turrem Babel condiderunt: quæ ibidē diuina virtute, in cunctas mundi linguas sit dispartita.

55 An fuerit sermonis vsus donatus Adæ a natura: vel an illum aliqua consuetudine: vt cæteri mortales didicerit?

Non aliqua consuetudine: vt cæteri mortales solent, didicerunt prothoplasti, naturalis vsus sermonis: vt pote qui illis, dono dei: affuit a natura. Nam idem spiritus, qui repente sacros dei apostolos, omnium linguarum discrimina differentiasq; edocuit: vnius alicuius naturalis lingue prothoplastis, inseruit proprietatem. Etenim quod in sequentibus hominibus facit artis & consuetudinis vigor: id in primis parentibus, natura suppleuit.

56 Cur adduxit deus cuncta terræ animantia ad Adam: vt videret quid vocaret ea?

Id pertinet ad fidem præcedentis: scilicet q; a natura, affuerit Adæ natural' alicui' sermonis vsus. Omne enim (vt testatur eloquium) quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen ei'. Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia: & vniuersa volatilia cœli & omnes bestias terræ. Hæc igitur cunctorum animalium nomina, quæ iis ab Adam indita leguntur: manifestum est quoniam naturalis lingue atq; sermonis (qui Adæ naturaliter affuit) proprietatē seruare. Atq; hoc perlucido indicio iudicatur Adam: nulla consuetudine, naturalis sermonis vsus experimentumq; didicisse.

57 An Adam sibi etiam ipi nomē indiderit: an sui nominis proprietatē a deo acceperit?

Adam ex præcedente, cunctis terræ animantibus indidit ad placitū noīa. Vxorē quoq; suā, viraginem appellauit: dicens propterea hæc vocabit' Vir-

ago quia de viro sumpta est. Deinceps quoq; illi Eue nomen imposuit: eo q; mater esset cunctorū viuentiū. Quæ autē sibi ipsi nomen imposuerit, aut q; illud a deo acceperit: nihil expresse, ex sacrorū eloquiorum fonte depromere possumus. Satius tamen est dicere: illum haud quāquam a seipso, sed a deo Adam, id est terrenum fuisse appellatū. Nā Adæ origo: magis ipsi deo q; Adæ innotuerat: cuius proprietatem prior, cōgruo noīe expressit.

58 Si deus indidit Adæ nomen: cur etiā cunctis animantibus: nomina nequaquam imposuit?

Id fecit: vt ostēderet, penes hominem esse cunctorum terræ animantiū imperium: illumq; a se constitutum, dominum sensibilis mundi. Voluit em̄ deus vt cūcta animalia, haud ab alio, q̄ ab eo cui (vt naturali domino) famulari nata erant: veris propriisq; nominibus insignirentur. Hinc igitur primarum appellationum & impositionis nominum honorem: deus homini clementer exhibuit. Hoc enim est indicium, hominem esse in sensibilibus mundo vt deum alterum: cunctis animantibus terræ præfectum.

59 Quæ hominis proprietates: ex impositione nominum cunctorum animalium colligi possit?

Pulchra quedam hominis proprietates, inde colligitur. Nam sicut se habet deus ad naturales rerū substantias: ita & homo ad voces, rationes & nomina earundē. De' em̄, volūtarius cōditor est naturalium substantiarū. Homo vero arbitrarius vocum nominūve impositor. Propriū est diuine mentis: negociari circa substantias & priā mundi entia. Humane vero mentis peculiare censemus: diuinam mentē, in accidētū negociatione & origine emulari atq; imitari. Est em̄ humana mēs, quedā vox diuinae mentis.

60 Vbi cunctis animantibus: nomina imposuit?

In paradiso, in loco humane felicitatis. Nondū em̄ de ligno sciētiae boni & mali comederat: nec a naturali felicitate exciderat: felix adhuc erat homo & naturali perseruēs principatu: custodiēs

Questionum

Theologicarum

para disum dei qñ dignus habitus est: vt cunctis animantibus præfset: singulisq; propria & apta nomina deo annuente designaret. Cum tamē in hoc versaret honore: iuxta eloquium non intellexit: comparatus est iis quibus præerat iumentis insipientibus: & similis factus illis. Hinc naturali felicitatis loco exturbatus: in hanc ægypti paludem exulatum venit.

61 Cum notiones & diuitiæ mentis sint priores vocibus nominibus & omni sermone: an sicut Adæ affuit a natura prouisiu sermōis vsus: ita & illi affuerint mentis notiones veræq; diuitiæ?

Nequaquã. Nam mentis notiones ad scientiam ac discretionem pertinent bonorū & malorum. At nondum vllā scientiam, aut boni malive discretionem adeptus est Adam: priusq; e fatali sciētiae ligno, diuina iussa transgressus edisset. Mox em̄ vt comederunt iuxta eloquium, aperti sunt oculi amborum. Hoc vero extitit initium totius humane cognitionis & illustrationis oculorum mentis. Quapropter in Adam, simplices voces veris notionibus priores extiterunt: quæ tamen in ceteris hominū, a mentis notionibus (probe saltē rationabiles & erudite) procedunt.

62 Cur sicut deus primi hominis os erudiuit: instruxit: locupletauit: ita & eius mentem nequaquã ab initio: veris gazis ditauerit?

Quia inchoauit deus ab his, quæ magis erant hominī necessaria. Nam sicut creauit vniuersa terre animantia & cuncta hominī necessaria: priusq; hominem naturalem eorū dominum plasmaret: procedens a medijs ad finem: a sensibilib⁹ creaturis, ad rationalem creaturam & ab inferioribus ad superiorem: ita & primi hominis os & sensibile organum, prius instruxit atq; erudiuit: q̄ illius mentē veris gazis locupletaret. Siquidem sermo quibus diuersi inuicem congregantur: prius extitit hominī necessarius q̄ singularis & interna mentis notio: qua quisq; non alteri, sed sibi soli singulariter congregari potest.

63 An discretio bonorum & malorū per

quam ruerūt exciderūtq; prothoplasti: fit mala simpliciter & hominī exitiosa? Nequaquã. Nam & ipm lignum discretionis bonorum & malorum: quo vescentes primi parentes, alieni a deo facti sunt: nec secundum substantiam nec simpliciter est malū: sed dūtaxat id secundum quid, extitit perniciosum: quia veritū a deo. Ipsa quoq; bonorum & malorum discretio, allata hominī per esum ligni: haud aliter q̄ secundū quid, hoc est quia verita: cēseatur mala.

64 An statim post esum ligni: omnis humana scientia & inferiorum humanarum rerum cognitio: prothoplastis affuerit?

Per id quod dicitur: & aperti sunt oculi amborū cognoueruntq; se esse nudos: manifeste exprimit homo, naturam nuditatem, ignorantia & priuationem omnium sciētiarū illico excussisse & cognouisse imprimis semetipm, hoc est hanc esse suę mentis naturam: vt nuda, priuata, absq; vllius sciētie innato fulgore nascat. Sicut enim corpore: ita & mente se esse nudos didicerunt. Cū igitur cognitio sui, sit quedā omnium cognitio. (Nā homo omnia est) aliquo pacto ex agnitiōe sui: oia cognoscere potuerunt.

65 An eo modo: primus homo omnium scientiam adeptus sit: quo & ceteri hominum?

Minime: ppter tria. Quia inquam primus homo, a nullo hominum instruct⁹: omnia edidit. Quia etiam per esum ligni: aperti sunt oculi eius: id est mens eius cœpit boni ac mali internoscere discrimen. Quia deniq; prius seipsum, q̄ singula sigillatim entia cognouit: & ex seipso: specialiorē singulorū proprietatē naturāve elicit.

66 Quo pacto differat modus instructionis ceterorū hominum: ab instructione primi parentis?

In his tribus quæ diximus in precedente. Nā ceteri hominū: nequaquã ederunt de ligno discretionis bonorū & malorū: tamen illius virtus, a primis parentibus sit indita filiis. Habueruntq; in filiis non nihil vigoris: instigans eos, in sedulā & cur

riofam cunctarum rerum indagatorem. Ceteri quoque homines, alii ab aliis: doctrinam & scientiam capessunt. Postremo vero nec ipsi se ipsos primum: sed cuncta sensibilia imprimis agnoscunt. Deinde a sensibilibus receptui canentes: supremam sui ipsorum noticiam tanquam cunctarum finem abstrahunt, componunt, eliciunt.

67 An esus ligni vetiti cuius virtus inditata est toti posteritati: tantam habuerit in posteris virtutem: quantam in primis parentibus?

Habuit quo ad peccatum: non habuit quo ad scientiam. Nam huiusmodi ligni virtus, in cunctis quibus adhaesit: vocata est originale peccatum. Et eque omnes, a deo alienos reddidit. Aequae peccatores appellauit. Aequae mortales, ex immortalibus effecit. Aequaliter omnes testata est haud aliter ab ea macula exonerari potuisse: quam morte unius hominis innocentis scilicet Christi. Quo ad autem scientiam, minorem habuit in posteris virtutem. Haud enim usque adeo aperuit oculos filiorum quemadmodum oculos aperuit prothoplastori.

68 An scientia primorum parentum: sit scientia infusa: vel potius acquisita?

Potest & infusa & acquisita vocari. Infusa quidem si ad ligni esum respexeris: cuius virtute omnium scientiarum radix (praesertim sui ipsorum agnitio) illis infusa est. Acquisita vero iuxta speciale omnium scientiam: in quam deinceps, ex sui ipsorum cognitione & primaria suae mentis oculorum adaperitione: proficere potuerunt: tanquam infusam unitatis scientiam (praeter ceterorum hominum consuetudinem) in multitudinem propagantes, distribuentes, diuidentes. Nam prima scientiae radix plantata per esum ligni in prothoplastis: omnem denique scientiae ramusculum in ceteris tulit.

69 Quopacto differt infusa scientia: ab acquisita?

Differt quemadmodum instans a tempore seu diuina virtus ab humana virtute: aut gratia spiritus sancti ad hominum eruditione. Nam quod infusio, inspiratio & gratia spiritus sancti: non modo vna hora, sed vnico instanti repenteque largitur: hoc humanus labor ac multipharia eruditio, vix multo tempore im-

partit. Quod vnice & collecte, donat spiritualis illustratio: hoc homo in multitudine confert.

70 An angelorum scientia sit acquisita: vel potius infusa?

Angelorum scientia acquisita non est. quippe illis innata & concreata. Attamen nec proprie debet vocari infusa: quamquam infusae scientiae naturam, eo quod repente & collecte illis donata sit: imitari videtur. Nam scientia infusa: est quae non alicui, sed naturam adest: sed quae dono diuinae gratiae (suae creaturae imperfectione benigne supplementis) alicui post natiuitatem petenti a deo & oranti: indulget.

71 Quorum est propria scientia infusa?

Eorum duntaxat quorum & acquisita: ut hominum, non autem angelorum. Nam infusa scientia, supplementum est humanorum laborum: tempus conuertens in momentum: & multitudinem conglobans in unitatem. Sicut enim terra paradisi ad huius mundi terram: ita & infusa scientia ad acquisitam. Huius enim mundi ager: hominem haud aliter, quam in sudore vultus sui alit: quem tamen ager paradisi: vltro innocentem aluisset. Ad eum quoque modum hominis mens: scientificum suum pastum haud absque labore, ab hoc mundo mundanisque rebus capessit: quae si ad deum, suae totius scientiae solem conuertetur illumque suppliciter exorabit: mirabitur quonam modo in suo ipsius agello, cunctarum scientiarum germen vltro pullulascunt.


72 Per quam scientiam: homines angelis quam maxime propinquant: fiuntque diuinarum rerum: illustriore modo participes? Per infusam. Nam haec est eiusdem speciei, cum scientia angelorum. Repente siquidem & collecte donatur. Distat autem subiecto tantummodo, hoc est diuersitate meriti: quas & illustrat & subuehit in deum diuinarumque rerum participes reddit. Haud enim infusa scientia: per varia factarum rerum signa & humanae infirmitati accommodata operimenta, humanam mentem instruit: sed diuinum radium illi sincere & nude (in arcanis tantum ipsi purificatae mentis latebris inuolabili obrectu) patit.

73 Quid proprie & veraciter, est infusa scientia?

Repentina absterfio humanae totius ignorantiae: siue humanae mentis (cui innata est omnis nuditas,

Questionum

& ignorantia rerum momentanea & diuinitus indulta illustratio. Nam cū substantia humanę



mentis, sit vt quedā species & potentia vniuersorum: hæc ab initio, similis est oculo: qui vndecunq; tenebris obsessus: ab his, prepeditur omnia quę circum ipsum sunt intueri. Vbi vero diuini solis estu circumstantiũ tenebrę nubes momēto disparuerint: hæc mens hęcve oculus, repente cūcta se circumstantia specular⁹ agnoscer. Huiusmodi igitur nubium instantanea disparitio, similis est infusę scientię quā momētanę natiuę ignorantię mentis absterfionem appellamus.

74 Quomodo se habet infusa scientia ad acquisitam?

Sicut vnitas ad multitudinē: & lux solis ad stellarū claritatem. Nā sciētia infusa: vnica est & collecta. Acquisita vero: multipharia & in plura diuisa. Sol numero vnicus & solus est: eius tamen lux. pene immensa: & mortalis oculi aciem perstringit & clarissimā diem gignit. Stellę autē cū numero infinite sint: eaz; tamen collucens & in vnū collecta atq; aggesta claritas impar est diēi. vtpote quę e nocturnis tenebris emergere: & mortalē oculū exatiare nequit. Sic & infusa sciētia in humana mente diēi: id est diuina; rerum liquidā cognitionem profert. Acquisita autem vix in nata noctis tenebras: ab ea propulsat. & eam maxima ex parte ieiunam ac esuriētem linquit, quippe diuina cognitione (qui supremus est animi partus) orbatam.

75 Quod est precipuum medium: quod homines ad infusę scientię habitum manuducat?

Sedula & humilis oratio. Nā infusa scientia, donū est diuinę gratię quę cū immenso cuiusdā pelago, oibus explicito & aperto assimiletur: hanc ex haurire & imbibere nequeūt, nisi & hyates & ge-

Theologicarum

nua flectentes humilesve mentis catini. Per hyatum em̄ mētis: intellige orationē diuinorū munerum exoptulatricē. Per genuflexionē vero, intellige humilitatē: quę mētis catinum, mergit in equor diuinę ambrosię.

76 Cur hi qui cum Gedeone fuerūt: nec lambuerunt aquas sicut canes solēt: sed manu ad os proiciēte biberūt: remissi sunt in domum suam?

Id p̄inet ad rationē & anagogę p̄cedentis. Nā hi qui manu ad os p̄iciēte biberūt: etsi sitiebāt: etsi orauerūt: hūilitate tamē caruerunt: nec sitientia ora, p̄cībētes in terrā: ipsis gurgitib⁹, vt pleni exatiarenē imerserunt. Quapropter semiaridi & velut ad diuina bella inermes: in domū suam remissi sunt. Cateri autem qui in terram p̄cibere & velut canes, ora ipsa laticibus imergere aquas ve lābere nō erubuerūt: hi orationi: annexā hūilitatē habuerūt: & abūde diuinis aq; exatiati: ad bella p̄fecti victoriā reportarunt. Est em̄ humilitas orationi, seu sacre fiti: adiicienda.

77 Quę sunt totius sacre orationis: diuinorum munerum exoptulatricis: fundamenta atq; initia?

Ieiunium & elemosyna. Nā elemosyna aiarum maculas resoluit. Ieiunium vero flagellatā edomitāq; carnē: spiritui subdit. Nā sicut lemargia spiritū animūq; abyssu carnaliū desideriorū imergit hūanasq; partes obturbar atq; cōfundit: ita & abstinentia, quoddā est humanarū partū naturale discrimē: quo spūs vt dñs, & caro vt eius ancilla: in hoīs domicilio, pacifica mansione cōmorant. Hoc autē humanarū partū discrimen hęcve pacifica ambag; cohabitatio: totius est sacre orationis ac diuinę lucis expetendę initium.

78 Quot sunt quę ad humanam scientiā attineant?

Quattuor, sensus, intelligentia, ratio, fides. Sensum hic vocamus: vt memorię & experimēto incidit. Intelligentiā vero clarissimā & immediatā lucē p̄cipiorū. Rationē porro dicim⁹ esse notoriā cōclusionū: quę principiis subsunt. Fidē vero quę authorum aut sanctorū vitōz verbis ac dictis: credulas aures impendit.

79 An per aliquod horum quattuor: scilicet sensus siue experimenti: intelligentiæ: rationis & fidei: humana mens sit a veritate nutabunda?

Nequaquam, nam hi quattuor habitus eque firmi & stabiles sunt: quibus non eque lucidi & clari. Nam experimentum & fides: annexas habet tenebras: quoad quidem ratione & intelligentia careat. Etenim experta mens atque fidelis: inseparabiliter coheret veritati: nec minus de veritate, cui credidit heresitat: quam ea que intelligentiam & rationem est consecuta. Ignorat tamen causam: cur id ita se habere predicet.

80 Quis horum habituum: sit infusæ scientiæ similior?

Similior est infusæ scientiæ, intelligentiæ: id est habitus principiorum. Nam hic apex est & clarissimus, cunctorum humanæ mentis habituum, qui nullo fere preuiodiscursu, sed quasi momento: totam mentem (infusæ scientiæ more) illustrat. Nam mens humana, in vniuscuiusque scientiæ latissimos campos: per principiorum aditus, fores valuasque irrupit: quorum intelligentiam & nullo pacto ignorabilem lucem, repente hauriens: in cetera deinceps subobscuriora & ignotiora discursit. Cum igitur in qualibet scientia, nihil sit principii clarius, nihil magis vni merito principiorum habitus, est infusæ scientiæ simillimus.

81 Quis eorundem habituum: sit ad infusam scientiam nanciscendam utilior?

Fides. Nam hæc authoritati sanctorum innitens sanctosque perireuerita (etsi quæ prænunciantur penitus ignoret) his tamen firmissime & indubie consentit. Quapropter hæc meritum magni habere iudicatur: tanquam que de seipsa, nihil superbe presumens aut sapiens: & seipsam abiicit: & diuine claritatis iubat (quoad superne irradiet) fixa & immota prestolatur.

82 Quid est fides?

Humilitas & abiectio propriæ intelligentiæ: & eiusdem ipsius in alienæ mentis robore, insuperabilis constantia: fixaque & immota perseverantia. Fides heret & consentit absque luce. Fides est oculus coniunctus obiecto proprio: absque præiua obiecti specie. Fides est extremorum vnijsine medio

Est habitus, sine habitu. habitus quidem supremæ substantiæ: sine habitu rationis & intelligentiæ. Robur enim fidei: nec sensus est, nec euidens signum: nec intelligentia, nec ratio, sed authoritas sola.

83 An fides sit a longanimitate quam apathiam siue patientiam appellant separata?

Nequaquam. Nam fides carcer est mentis: eam lucem prestolantis, quam credidit nonnunquam desuper affuturam. Obsident enim presentes tenebre, mentem fidem. quæ tamen spe inuincibili tenebris est eminentior. Adest igitur fidei virtus longanimitatis: quam apathiam (hoc est passivum, inter passiones & perturbationes carentiam) vocant. Hæc enim longanimitas, immobilitas quædam est & constantia animi: qua eius oculus nequaquam seipsum a circumstantibus tenebris, ignauiter opprimi & excitari sinit.

84 Quopacto fidelis oculus dici queat videns & non videns?

Videns spe & expectatiõe indubitate lucis. Non videns autem actu & presentia lucis. Est enim (vt diuus paulus ait) fides sperandarum substantiarum rerum: argumentum non apparentium. Per substantiam intellige constantiam & immobilitatem fidelis oculi: qui stat firmatque seipsum in petra & rupe sanctorum. Per rerum non apparentium argumentum concipe futuræ lucis ortum: quæ ea quæ oculus non vidit: fideli oculo, palam tandem reuelabit. Videt igitur fidelis oculus, & non videt, videt quidem spei certitudine & robore authoritatis. Non videt autem mysterium denudatione: & arduæ rei enodatione.

85 In quot: consistit humana ignorantia?

In tribus: dubitatione, opinione, errore. Dubitatio ignorantia est pure negationis: & hæc omnino nude ac vacue mentis propria est. Opinio, dubitatione paulo superior: hæret quidem consentitque: sed nutabunda atque infirma: perfacile ab eo cui adhesit diuellitur. Error autem sub lucis & veritatis specie: ex toto firmiterque falsitati consentit. Mens quippe errabunda, inextricabili falsa

firatis laqueo vinceta: ab eo explicabilis non est.

86 Qualiter in humana tam ignorantia: q̄ cognitione & scientia: septenarius reperiatur?

In tribus, secundum doctrinā precedētis humana consistit ignorantia dubitatione, opinione, errore. Quattuor vero recensuimus quę ad humanam cognitionē attineant: sensum, intelligentiā, rationem & fidem. Dubitatio applicatio mentis est, ad fores veritatis aut falsitatis: priusq̄ intro, i vtramuis partem proficisci coeperit. Opinione paulo intro profecta mens: pedem interdum aut a veritate aut a falsitate cespitabunda & incerta reuocat. Error in falsitate, mentē figit. Ceteris vero quattuor habitib⁹: mēs in veritate stabilitur. duobus quidem in luce & duob⁹ in tenebris. Nā per intelligentiā & rationem: mens lucē veritatis est assecuta. Per sensum vero & fidē nequaq̄: tametsi summississime consentit.

87 An aliquid habeat Christiana religio hēsitationis opinionis aut erroris?

Nequaq̄. Nam totius lucis indultrix: procul est a tenebris. Exterminatrix infamitatis: nihil infirmum, incertum aut dubium: habere potest. Error: i eliminatrix: quopacto erroneum quicq̄ aut a veritate alienum suggeret? Substantia quippe Christianę religiōis Christus est: qui via est & veritas & vita. Hic em̄ vt via hēsitationē tollit: vt clarissima veritas opinionum nebulas abigit: vt deniq̄ vita, pestiferis erroribus medetur.

88 Cui eorum quattuor habituū: qui ad humanam spectant illustrationē: Christiana religio maxime innititur?

Fidei. Nam propterea & ipsa, a fide insigne sibi nomen vendicat: quoties Christiana fides nuncupatur. Etenim q̄ plurimū Christianę nostrę religiōis articuli: ea amplectuntur ac prędicant: quę & pręter naturę seriē & supra eiusdem naturę vires, per diuinam absolutam potestātē humane salutis gratia euenerunt. His igitur, vt cōsentiat intellectus: nec pręiū exquirere sensum debet, nec intelligentiam, nec rationem: sed naturali intelligendi modo abdicato: humiliter his consentiat, opus est: quę diuinitus indulta, a san-

ctis viris auctoritate & fide dignis prędicantur. Est enim fides (vt diximus) humilitas & abdicatio proprię intelligentiæ.

89 Qui sunt Christianę religiōis articuli: qui extra naturę ordinem: aut facti aut futuri sunt?

Q̄ tantum vnus est deus: q̄ immensus, æternus trinus, omnium creator: hac omnia ab æterno ita sese habuere, nec extra naturę ordinem euenere. Q̄ autem verbum dei caro factum: q̄ conceptum de spiritu sancto absq̄ viri semine, q̄ natum de immaculata virgine, q̄ passum, q̄ suscitatum a mortuis: q̄ in cœlos materiale corpus ascenderit: q̄ suscitabit vnīuersos, q̄ futurum seculum (præsenti per ignem sublato) iſtaurabit: hac omnia pręter naturę seriē ac vires aut euenerunt, aut ventura sunt. Horum igitur pręcipue est fides.

90 An Christiana religio: sit expers sensus?

Minime. Nam non est expers signorum & mirabilium operum: quę & a Christo & ab eius discipulis & discipulorum suorum imitatoribus, sanctis viris in testimonium diuinę Christianorum virtutis & firmitatem orthodoxę fidei: corā oculis omnium patrata & perfecta sunt. Curatio omnium languorum, suscitatio mortuorum, in tormentis absq̄ lēione permāsio: hac sensibilia opera ac signa: nimirum ad Christianę religiōis sensum & virtutis experimentum spectant.

Habet ne Christiana religio quicq̄ intelligentię: & indubitatę cunctisq̄ peruię lucis?

Habet. Nam vnitas dei, immensitas, & æternitas eiusdem: hęc pertinent ad Christianę religiōis pricipia, aut dignitates, aut postulata. His enim vt per se cognitis, vt summe peruiis, nec ratione aut demonstratione vlla indigentibus: assentiri vltro debent vnīuersi. Q̄ si hac non per se cognita, sed subobscura esse nonnulli voluerint: erit saltem esse deum aliquē, habendū loco principii & summe necessitatis, cunctis peruię. Habebit igitur Christiana religio: nonnihil intelligentiæ.

92 An desit in Christiana religione ratio idve quod rationabiliter dinosci queat? Nequaquam. Nam exclusa deorum pluralitate & supposita diuina solitudine atque unitate: ex natura diuinae perfectionis (vitandae ociositatis gratia) rationabiliter diuinae trinitatis colligitur mysterium. Hac enim ratio Aristotelem compulit: ut diceret mundum ab aeterno fuisse, quandoquidem aeternam diuinae substantiae monadem: necesse est: aut ab aeterno torpuisse, aut aliquid illi fuisse coeternum: aut eandem trinam esse, & ex consequenti interna actione non carere. Qui autem illius mysticam trinitatem ignorauerit: maluerunt illi, aliquid statuere coeternum: quam eandem fuisse ab aeterno ociosam, omni uel actione carentem.

93 An in necessariis dei predicatis: sit nihil rationis & intelligentiae?

Necessaria dei praedicata: in superioribus libris recensuimus. Sunt enim huiusmodi. Essentia diuina, Unitas, Immensitas, Aeternitas, Trinitas, & alia id genus innumera. Dicimus igitur in his aliquid esse intelligentiae & rationis: & alia quaedam huiusmodi praedicatorum: spectare ad principia, alia uero ad conclusiones, alia uero ad intelligentiam, alia ad rationem. Nam ens, apud intellectum: prius est uno, unum immenso & eterno, immensum & aeternum trino. Trinitas enim: rationabiliter ex prioribus praedicatis colligitur Ratio item bonitatis: prior est ratione communicationis sui. Quia enim aliquid est bonum: est & comunicans seipsum. Non desunt igitur in necessariis dei praedicatis: ratio & intelligentia.

94 An intelligentia & ratio in contingentibus dei praedicatis desint?

In contingentibus dei praedicatis: ut incarnatione, passione, resurrectione, & ceteris id generis: nequaquam desunt intelligentia & ratio, id est prius & posterius cognitum: seu quae inferunt & quae inferuntur. Nam conceptio de spiritu sancto: infert natiuitatem ex uirgine. Ideo enim peperit uirgo: quia conceperat de spiritu sancto & non ex uiri semine. Haec etiam duo praedicata, inferunt

originalis peccati carentiam: quae innocentia appellatur. Ex innocentia porro: arguitur iniusta mors innocentis. Hac uero iusta innocentium salutem infert: per ipsius innocentis prauiam resurrectionem. Et hoc pacto in contingentibus dei praedicatis: intelligentiam & rationem, nequaquam deesse comperimus. Sed de his, alio in loco latius differemus.

95 Quae sunt contingentia dei praedicata?

Contingentia dei praedicata uocantur: quae de deo nequaquam ab aeterno, sed contingenter enunciantur: suae enunciationis causam habentes: diuinam solam uoluntatem, ut creator, incarnatus, natus, passus, suscitatus a mortuis: & quaeque horum sunt consequentia. Nam sicut necessaria dei praedicata, referuntur ad naturam & aeternitatem diuinae substantiae: ita & contingentia dei nomina referenda sunt ad diuinam uoluntatem. Quippe uoluntarie creauit mundum: & sponte deinceps humanam assumens substantiam, nostrarum infirmitatum particeps factus est.

96 In quantis praedicatis: superat hebraicam sectam: Christiana religio?

Hebraei & esse deum & tantum unum esse & immensum & aeternum confitentur: trinum autem esse inficiantur. Nam plurimum deorum culturam perosi: usque adeo illius unitatem defendunt, ut abnegent trinitatem. Ex contingentibus autem dei praedicatis: nullum, praeter creationem admittunt. Incarnationem quippe uerbi: natiuitatem eius de uirgine: passionem & cetera contingentia dei nomina aspernantur. In his itaque praedicatis: Hebraicam sectam, Christiana religio transcendit, scilicet in trinitate & (praeter creationem) in cunctis contingentibus nominibus.

97 An Hebraei qui Christum uenturum cognouerant: certi fuerunt de eius diuinitate?

Hebraei magis carnatenus quam spiritu Christum nouere. Norant quippe illum nasciturum ex semine dauid: & in bethleem ciuitate Dauid. Diuinae

autem incarnationis mysterium: quod vsq; mo¹⁰⁰ do peruicaciter inficiatur illos latuit. Quare & diuinitatem Christi id est substantiam uerbi ignorare. Et non modo illos, Christi latuit diuinitas: sed & tempus natiuitatis ipsius secundum carnem: quemadmodum ad illos a domino dictum est: eo qd non cognoueris tempus uisitationis tue. Nam qui diuine trinitatis mysterium ignorabant: & uerbi incarnationem scire non potuerunt. Hæc autem de communi Hebræorum plebe intellige. Nam nonnulli sanctorum patrum & prophetarum: Christi diuinitate in spiritu agnouere.

98 Quibus primum diuine trinitatis mysterium innotuit?

Christianis solis. Nam dux & p̄sul Christianorum Christus una erat diuinarum personarum, quæ sub carnis amictu, cum hominibus conuersata: primos de trinitate sermones, auribus hominum impressit dicēs, Ego in patre & pater in me est. Ego & pater unum sum. Anteq̄ Abraham fieret ego sum. Ego rogabo patrem meum: & alium paraclitum dabit uobis. Et hic de meo accipiet. Hi primi de trinitate sermones, mirantium discipulorum animos, eo vsq; obtudere: quoad postea descendens spiritus in eos: cuncta illis, quæ filius in enigmate prædixerat enodauit.

99 An per mundanam sapientiam: nonnulli philosophorum id mysterium deprehendere valuerunt?

Per mundanam sapientiam seu philosophiam cum naturalium tum supernaturalium rerum: nullis mundanorum sapientum, diuine trinitatis arcanum mysterium legitur innotuisse. Est enim id longe sciētia diuinæ unitatis occultius. Nam esto nonnulli philosophorum, rerum omnium uarietate: ab unico primo aut hore & summo ente pependisse, cognouerint: ut de Socrate, Platone, & Aristotele lectitamus: qui cunctis, rebus æternam aliquam monadem, rationabiliter præferunt: attamen summi illius æternique entis, internum discrimen ac præclarum nomen: nequaquam agnoscere valuerunt.

Quæ mundi religio quæ maxime abfuit: ab huius agnitione mysterii?

Religio gentilium, si tamē uocari debet religio, quippe prophanus demonum cultus. Nam prima & pernecessaria suppositio: quæ nos ad huiusce mysterii cognitionem, aliquopacto manuducit: cultus est diuinæ unitatis: qui connectens coniungensq; diuinam substantiam: illius multiplicationem & diuisionem inficiatur. Et haud longe abest: ut sacra quadam contemplatione, arcanum illius numerum eliciat. Qui autē diuinam substantiam multiplicat illamq; diuellit: simul omnia diuina nomina, sacrasq; illius proprietates exterminat. Etenim interno diuine substantie numero: quæ maxime obest numerus eius exterior. Nam quia non sunt multa æterna: sed tantum unum æternum: ideo illius immensa unitas trinitate exultare & sibi ipsi personali numero adesse sapienter existimanda.

Theologicarum questionum
quinti Libri finis. Anno
domini 1512.
quinta Ianua
rii.